


Andreas Nicanor


Andreae Nicanoris Ad Epistolam Cyriaci Thrasymachi, De Iustitia Armorum Suecicorum In Polonos, perq[ue] ea Liberata a magno periculo Germania Responsio

[S.l.], 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791372979>


Druck Freier  Zugang





F. II. 1019^{1-53.}

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



J.C.

Series Materialiarum


1. Vössißte Apologia und Rettung d. Disert. ~~Chriß~~
Der fürstlichm. Büch. C. in Bruges betretten
Lugdy 1620.
2. Regis Danie Christiani IV. et Principum
Brunsvicens. ad Ambros. Spinolam. Epistola. e-
iusdemq. Responsio etc 1621.
3. Iustitia Cæsarea circa Declarationem Banni
contra Palatinum ~~tempora~~ Electorem etc 1622.
4. Copia der freunds-puncten zwischen dem Kayser
und König zu Dänemarc und zu Lubeckg. etc
etc. 1629.
5. Freunds-Verfließ zwischen dem Kayser und Für-
stlichen zu Dänen zu Berg außgewislet etc 1635
6. Antiqua Bojorum Gloria Sepulchram. 1705.
7. Manifest daß König in Disforden, wider den
König in Dänemarc etc 1644.
8. Protest und Deduction der Cron Dänemarc
contra Disforden. Anno 1644.
9. Widerlegung des Disforden Manifests 1644.
10. Ambrosium Byers Königs zu Dänemarc und
Disforden Notwendigkeit u. wannum solte ge-
trübet Anno 1644
11. Copia eines Disordens von einem Disordis-
unserfrändlich von Adel 1644.

- 12 Frieden Artway zwischen Königin Christina und
Christianum II Königin dänischer 1645 d. 13 August.
- 13 Begrißbrief Frantz. Bratt Wolfgang Wilhelms wegen
des Verordnungs zum Einfalles in Gütisind Bergen
Anno 1651.
14. Ruyter Aufsatz von Art Manifesto, vortragen für
Grundlegung einiger Plätze in Bellus und Bors.
zu ungenommene Anno 1651.
- 15 Preliminar Forderung des Wessels, vortragen das
König Carl Gustav. den König in Felsen mit König
übertragen. etc 1655.
- 16 Antwort auf die Preliminar-Forderung des
Wessels, s. s. Anno 1656.
17. Copia 4. Beschreiben des Königs in Dänemark von
die Bratt Dantzig und deren Antwort etc 1656.
18. Nicanoris ad Thrasy Machi Epistolam, de Justitia
et morum Succicorum in Polonos. Responsio 1656
- 19 Eiusdem Responsio Dantzig Anno 1656.
- 20 Ecclipsis des Lebendigsten Polnischen über Nica
noris Antwort Anno 1656.
21. Copia Beschreiben Quosfürsten zu Brandenburg
von dem König von Felsen, vortragen die Conjun
ction mit Dänemark. 1656.
- 22 Expositio causarum quibus Rex Suecia Bellum contra
Daniam Regem continuare coactus fuit etc 1658.
- 23 Responsio ad duo Scripta Danica. 15. etc 1658.
24. Antwort auf zwei von dem Rolfesfeldes 1658 aufgr.
verfassen, finden sich zu dem Lebendigsten Polnischen des
Dantzig Copien des vortragen Anno 1659.

- 25 *Mesive der H^o General Staten der Vereinigten
Niederlande von d. Königl. Majest. v. Dänemark etc 1659.*
- 26 *Propositio welche die Königl. Dänische Abgesandte in
der H^o General Staten Versammlung geben subd. etc 1660*
- 27 *Propositio des französischen Ambassadeurs in der
Versammlung der H^o General Staten etc 1660.*
- 28 *Summarische Zusammenfassung und Deduction der Gene-
ral Staten nebst dem Memorial des Englischen Ambas-
sadeurs etc 1665.*
- 29 *Gründliche Gründriss Herzog Joh. Friedrichs
zu Braunschweig die Succession der Allister Länder be-
treffend etc 1665.*
- 30 *Information und Declaration an den Kaiser
Majest. den Fürstlichen Welfen betreffend etc 1665.*
- 31 *Historie des Königs in Dänemark Caroli mit
der Briefe Commen etc 1666.*
- 32 *Tafel des Handels in der Provinz Frankreich
unter Monarchie in pretenzionen d. Königs v. Frankreich
etc 1667.*
- 33 *Des justes Pretentions du Roy sur l'Empire, etc 1668.*
- 34 *Der Königl. Erwerb Frankreich in Dänemark Provinz
den wegen des Devolutions Rechts in andern Dingen 1668.*
- 35 *Regen Manifest des Rudolfs Augusten etc d. Bischof
zu Münster die Briefe betreffend 1671*
- 36 *Die protestanten sind nicht gut befunden d. Dänischen
Dienst wegen nicht zu Regierung übergeben d. Dänischen
etc etc 1675.*
- * Bericht, Kuster, von dem Georg Wilhelm, Herzogen zu Braunschweig und Lüneburg com-
petierenden juve optionis. Lh. 1665.

37. Ausführliche Gegen-Information des Querschnitts, dinge
zu Brandenburg wider die Defension des Herrn Nidders
sichs Curisd. angüben Sumar-Information 1675.
38. Und Defension, nicht Jüniffer, von Adell. Des Vesslewig
Bottow Haff, Präsidenten von Kurland etc. 1676.
39. Zwanen Magnus de la Gardie Apologie 1678.
40. Defensio Johannis Bunonis contr. Clavam. Rosenkrantium.
Apologetam Jura Regis Danica concern: 1683.
41. Anmerkung von Jetera Dunsinore Al. über die Verant-
wortung der Kaufleute von Christian Albrecht Protogger
zu Holstein die König. Professors in Augspurg. 1685.
42. Gründliche Ausführliche des Verrichts, der in dem
Krieg in Brandenburg die Quartier-fürsicht
betreffend ao 1689.
43. Des Protoggers von Cöhringen, Besandter, Memorial
an die Kaiserl. Majest. Besandter, seiner Restituti-
on betreffend ao 1690.
44. Gründliche Anzeig: Des Protoggers von Polstein Eleo-
nora Carlotta nach absterbs Protogger Julii Fran-
tzus die Land Gaderu vor allen pretenden-
ten gebüret in Augspurg. 1693.
45. Antwort und Resonnements ruff die Verricht des
Santzeßigen Ambassadeurs die freundl. Condition-
es an die Kaiserl. Majest. betreffend 1694.
46. Mercurii Mittheilung aller geschehen Verrichten
die Land Hoyt in der Verricht in Esab, die Stadt Pruss.
Burg und des Protoggers von Cöhringen be-
treffend ao 1697.

- 47 Rescriptum a Duce Gottenpiensi ad Consiliarium in-
timum de Wedderkop. 1698.
48. Lettre de Mons. L... à Mons. P... en Hollande
anno 1700.
- 49 Die Außgründung der Brünstigkeit gegen die
Drosungen und Chicanes des Fürstbischöflichen
Hofes etc 1701.
- 50 Abdruck des von J. Ragsford Majest wider Ulrich
Guthog, Ferdinand Carln von Mantua in seiner
Räthe, wegen absonderlicher Untertänigkeit
in Verordnung etc 1701.
- 51 Propositio des Ragsford. Plenipotentiarii ge-
schickten durch Correspondenzen fürstl. Abge-
sandten zu Frankfurt und dorthin Antwort
des Fürstbischöflichen Hofes betreffend 1701.
- 52 Ursachen, warum das April Trümperkrieg
Lüneburger Linie wider Trümper. Lüneburger
Wolfsbüttel Linie Krieg armatur sein
Vorsatz zu probiren gemüßigt worden 1702.
- 53 Holländisches Manifest gegen Frankreich
und Spanien anno 1702.



ANDREÆ NICANORIS

Ad Epistolam

CYRIACI THRASYMACHI, 18

De

JUSTITIA AR-

MORUM SUE-
CICORUM

In

POLONOS,

perq̄ ea

Liberata,

magno periculo

GERMANIA

RESPONSIO.

*Cui annexa & premissa est, ejusdam Patriæ
sua benè cupientis, ad*

MANIFESTATIONEM SVECICAM,

brevis

DISSERTATIO.

A N N O M. DC. LVI.

Cicero. 1. de Offic.

Nillum bellum est justum, nisi quod aut
rebus repetitis geratur, aut denunciātū
antè sit, & indictum.

Ibidem.

EA animi elatio, quæ cernitur in periculis
& laboribus, si iustitia vacat, pugnatq; nō
pro salute communi, sed pro suis commo-
dis, in vitio est: non enim modò id virtutis
non est, sed potius immanitatis, omnem hu-
manitatem repellentis.

POMPONIUS. l. 118. 7. de V. S.

Hostes hi sunt, qui nobis, aut quibus nos
publicè bellum decrevimus, cæteri latro-
nes ac prædones sunt.

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS

ad
MANIFESTATIONEM SVETICAM.

Siquis hodierni seculi mores, vel per transennam, introspiciat, facile reperiet, neminem non ad propriam culpam extenuandam & purgandam, alienam verò exaggerandam, & severè redarguendam, promptum & facundum habere ingeniù, in tantum, ut unusquisq; non cum venia tantum, sed & cum ratione peccasse videri velit. quod sane vitiù tantò detestabilius est, & si Principes eò se abripi patiantur, ut, rejectis significantissimis rerum vocabulis excessus suos priscis verbis obtegant, iisdemq; non excusationem solum, sed & auctoritatem dare nitantur. Ad quam quidem classem meritò referas Serenissimum Suetiæ Regem Carolum Gustavù, qui haut ita diu, bello, quod & inter Barbaros fieri amat, non prius denunciato, Serenissimum Poloniæ Regè, JOANNEM CASIMIRUM, tot tantisq; bellis undiq; plus satis, involutum, atq; indè violentiæ inferendæ oportunum ratus, post habitis solennibus, nondumq; finitis induciarù Stumdorffianarù pactis, abruptis etiam aliis cõpositionis mediis, hostiliter invadere, ditionesq; ejus subjugare; interim verò hanc suam injustissimam expeditionem, variis adscititiis coloribus fucose obumbrare ausus est. In quem finem publicata est illa, ita dicta, *Brevis & præliminaris enumeratio causarù, ob quas se Serenissimù Polonia Regem bello adoriri coactù esse putat, aut verius obtendit, scilicet, ut hæc ratione prostitutæ fidei, & induciarum ruptarum notam à se in Poloniæ Regè retorqueat, suas verò actiones quadam juris specie incrustet.* Non defuissent profectò, qui frigidæ hæc ratiunculas contrario aliquo scripto orbi Christiano jam dudum testatam reddidissent. nisi incongruum visum aliis fuisset, calamum prius, quam arma, tantæ ferociæ opponere, hostèq; à verbis ad arma prolapsum, & ferro nos impetentem, solis scriptorum syllabis retundere, fractaq; navi de mercibus disputare velle. Jam verò, ubi, per DEI gratiam, ad sese rediit prisca Polonorum virtus, illeq; sanguis Martius iterum

juito

justo furore incallescere, atq; se exerere cœpit, nō minus (alio licet, quam Suetiæ Rex procedere voluit, & in verso ordine) post expedita tela, strictosq; enses, etiã stylo remagere, injuriasq; Suecicas prælo publicare, atq; ita undiq; præfidiis suis hostem exuere opportunum esse judicatum est. At tamen non opus fuit multum operæ in confutandis supra dictæ Manifestationis causis consumere, aut punctuatim iis refellendis occupari, cum non tantū ipsis Stundorfianis pactis disertè cautum, sed & in ultimis Lubecensibus tractatibus utrinq; ita conditum fuerit, quod non obstantibus causationibus hisce aliisq; Suecorum ETCÆTERATIONIBUS, induciæ, ad decursum constituti olim viginti sex annorum temporis, (nimirum usq; ad annum 1661.) continuari deberent. Operam verò omnem ludunt Sueci, quando suis cavillationibus, adjectisq; circa pactorū phrasin: SEMEL ATQUE ITERUM, frivolis quibusdā commentationib⁹ pacta hæc eludere, & penit⁹ extinguere laborant. Nam quocunq; modo verba hæc accipiāt, fidei ruptæ & violatarum induciarum rei permanēt, cum si quid fortè ex parte Polonorum intercesserit, quod pactis adversari videatur, non armis vindicari, sed amicis complanationibus sopiri debuerit. Pauca hæc qui attendit, pluribus ad confutandam Manifestationē Suecicam non indiget, atq; in irritum exindè cadit labor istius, qui sub nomine CYRIACI THRASIMACHI, pro justitia armorum Suecicorū, quædam superaddere, laborantiq; Manifestationi obstetricari hæc ratione, & nescio quæ non Germanis persuadere voluit, cujus tamen dicta & allegata subsequēti epistolico responso ita sunt expūcta & enervata, ut exindè tantò facilius quis cordatus intelligere possit, Suecorū causam non jure, sed armis leviter susceptis niti, & à partibus eorum nil nisi violentiam, à partibus verò Polonorum solidam, justitiam stare, quæ quin tandem triumphatura sit, non est quod dubitemus, multis imprimis exemplis abundè edocti, illam etsi quandoq; langueat, non tamen vinci posse.

Ad

Ad
Cyriaci Thrasymachi Epistolam
RESPONSIO,

Cyriaco Thrasymacho Salutem.



Egi nuper Epistolam Tuam, quam vi. Kalend. No-
vemb: Anno præterito, DE JUSTITIA ARMORUM SUE-
TICORUM IN POLONOS, PERQ; EA LIBERATA A MA-
GNO PERICULO GERMANIA dederas. Sed quia in e-
adem Epistola multis injuriis & Polonos & Reges Poloniæ afficis,
& probare conaris, illos latissimâ culpâ suâ arma Suecica in se pro-
vocasse, defensionem illorum suscipere visum, tibiq; ad oculos
demonstrare, Te nec justitiam armorum Suecicorum in Polonos,
multò minus, quod per ea Germania à magno periculo liberata sit,
probasse. Hoc Tibi largior Te malam causam speciosè satis, con-
quisitis undiq; argumentis, sed non solidè defendisse, causamq; tu-
am variis verborum pigmentis ornasse, ut facile posses incautis fu-
cum facere. Sed quando argumenta tua æqua ponderantur lan-
ce, nullus deprehenduntur ponderis. Ego nullos Rhetorum flo-
sculos, nulla verborum ornamenta, aut fucatam eloquentiam op-
ponam, sed planè & nudè dicam, quod res est. Veritas enim nuda
est, nec eget his incrustamentis. Peccarem quoq; in leges Episto-
læ, si ampullatis & sesquipedalibus uterer verbis. Bene hac de re
sentit Seneca, cum ad amicum suum Lucilium 75 Epist: sic scribit.

*Qualis sermo meus esset, si una sederemus, aut ambula-
remus, illaboratus & facilis, tales Epistolas meas esse volo,
quæ nihil habeant accersitum nec fictum, si fieri posset, quid
sentiam ostendere, quam loqui mallet.*

Liberè dicam quod sentio, sine ira & studio, quorum causas
procul habeo. Et quamvis corruptissimo hoc seculo non liceat
sentire quæ velis, & quæ sentias dicere, attamen cujusvis ingenui

A

est

est, ut sermo concordet cum vita, & ille promissum suum implevit, qui & cum videas illum, & cum audias idem est.

Rem ergo ipsam absq; multis ambagibus aggredior.

In prædicta Epistola tua duo potissimum probare anniteris, per Polonos scil: non per Suecos stetit hæten⁹, quo min⁹ dudum inter populos illos firma ac perpetua Pax viguerit: alterum, Polonos multis modis induciarum leges fregisse, quæ sanctè hætenus à Suecis sint observatæ, ac proinde culpa sua latissima ante tempus arma hæc in sese provocasse.

Dum primum discutere incipis, originem belli non ex fide, (quod pace tua dixerim) nec sufficienter enarras, sed plurima, quæ maximè narrare debueras, omittis:

Taces enim, quod Sueci Esthonia à Livonia (quæ jam anno 1560. Sigismundo Augusto Regi Poloniæ Juramentum fidelitatis præstiterat) bello Moschico implicata, avulserint, ut PIASECIUS, quem sæpissimè allegas pag: 71. (edit: Cracoviens:) scribit. Unde quoq; Legati Suetici, ut Polonos ad eligendum Sigismundum Tertium, filium Joannis Regis Sueciæ, inducerent, *in augmentum & ornamentum Reip: satis speciosa, si fuissent præstita*, (verba Piasecii) *restitutionem Esthonia, & machinas bellicas in Livonia sub Moscho interceptas offerebant.*

Quod clarissimè evincit, jam à tam longo tempore Suecos Polonis infestos fuisse, cum Poloni nunquam Suecos ante offenderint, imò potius filium Regis Suecorum in Regem Anno 1587. elegerint. Et si Sueci Regem Sigismundum Tertium legitimum Regni Sueciæ Successorem, & unanimi Statuum Regni Sueciæ consensu coronatum Regem suum, Regno non abdicassent, nunquam ad tam crudele deventum fuisset bellum. Quod paulò altius repetendum duco, ut omnibus pateat, quæ vera causa & origo belli Sueco-Polonicæ à tam multis annis fuerit.

Cum Rex Joannes Sueciæ, Sigismundi Tertii Pater, anno 1592. 27 Noyemb: obiisset, filius Sigismundus Rex Poloniæ sequenti an-

no iter in Sueciam, ad assumendam Coronam Regni, parabat. Fa-
ma erat, quod Patruus ejus Carolus ad se ipsum traheret successio-
nem illius Regni, & ad excludendum Sigismundum vires & modos
compararet. Nec vanus ille rumor fuit; Nam *munitiona in*
Finlandiâ & pluribus aliis Provinciis loca occuparat, teste
Piasccio Tuo fol. 128. *Tuum* jure nomino, quia omnia, quæ in
invidiam Polonorum ex Historia ipsius excerpere potuisti, Episto-
læ Tux inseruisti. Hoc initiû fuit diffidentix: progressus inde, quod
cum Sigismundus in Sueciam trãsserat, ad ineundam pos-
sessionem illius Regni, hereditate paternâ sibi debiti, diffi-
ciliorem, quam putarat, rerum ibi statum invenit, Carolo
Duce Patruo suo, cum aperte Regnum petere non posset, va-
riis technis omnia intervertente, quo sibi viam aliquando
ad idem Regnum pararet. Utor verbis PIASECII fol: 133. eò
lubentius quod apud Te sit classicus, & non suspectus autor. Eo-
dem anno Sigismundus Rex solenni Diplomate juribus tam Ec-
clesiasticis, quam Politicis 9. Feb: Statibus Sueciæ cavet, & co-
ronatus ab Archiepiscopo Upsaliensi una cum Regina, & consti-
tuto Patruo Carolo Administratore Regni, *adjunctis ei Erico*
& Gustavo Brabe, reditum in Poloniam apparavit, & cum
44. navibus Mense Julio Stochholmiâ solvens, su-
peratis angustiis, ad Pucensem Borussia Portum appulit,
ac inde ad Ostia Vistula subvectus, Gedanum intravit,
benè in Suecia ut putabat, constitutis rebus. At Carolus Patru-
us post discessum Regis statim varia moliri cæpit, & absolute nul-
lo respectu præminentia Regia, pro arbitrio suo omnia a-
gebat, & paulatim munia Regia in se transferebat, ut Regi
præter nomen Regium nihil superesset. Et licet Legati ex
Polonia in Sueciam Anno 1596. expediti fuerant, ut hac de

re cum Carolo exposcularent, longam Apologiam, artifici-
osè elaboratam, loco satisfactionis, retulerunt. Et ut speci-
ofius Carolus omnia ad se traheret, *Conventū Arbogæ Anno*
1597, die 18. Febr: indixit, disuadentibus Consiliariis Re-
gni & Rege Sigismundo prohibente. In quo Conventu
licet unus tantum ex primariis Consiliariis Regni compa-
ruiisset, tamen cum suis assentatoribus, plura circa Regni
statum decerni fecit, & id in Conventu isto, subordinantibus
Ipsius emissariis, obtinuit, ut nomine illius Conventus ad
ipsum publica instituta fuerit petitio, ut sicut hactenus, ita
& impostertum, usq; ad adventum Regis, gubernatorem
Regni (cui se in speciem antea abdicarat, & vice versa status
universi obedientiam omnem se ipsi præstituros, obligabant)
sustineret. Quod fusius Piasecius Tuus fol: 175 describit, pluraq;
addit, quomodo post conventum hunc Carolus Arcium Præfe-
ctos, Magistratus à Sigismundo Rege constitutos, amoverit, pro-
priisq; substitutis, fideliores Sigismundi in exilium pulserit, bonis
eorum in fiscum redactis, quæ hic repetere nolo:

Judica, quæso, an hæc à Governatore Regni, contra Regem fu-
um acta, probanda sint.

Devenio jam ad annum 1598. quem Tu primum esse scribis,
quo Sigismundus Rex infestis armis, adjutus valida Polonorum ma-
nu, patrium Sueciæ Regnum, adortus est, & ante quod tempus ne-
mo Suecorum unquam Polonorum quenquam læserat. quod an ve-
ritati consonum, vide rogo ea, quæ in præmissis dixi. Quasi hoc
non sit lædere ullum Polonorum, cum quis Esthoniæ, Poloniæ
Provinciam intercipit & detinet, deinde Regem Poloniæ variis
modis offendit. Sed hic est ille Annus, quo *Carolus Dux jam*
palam in rebellionem (sit venia verbo, si aures tuas offendit,
Piasecium sequor) *crupit,* & Legatum Samuelem Laski, quem Rex
Sigismun-

Sigismundus in Sueciam miserat, contempfit. Qui cum re infestâ in Poloniam rediisset, Sigismundus in Sueciam ivit, & sub finem Julii Calmariam appulit. Tum Carolus contractis ex Arcibus suis majoribus Copiis, ac Regiis Sueticis, minis, promissisq; sibi de vinculis, propè Lincopiam ad Stange pontem acie instructâ, loco opportuniore Regi occurrere ausus est: & nec factâ mentione tractatus Pacis, quam paulò ante Lincopia institui (ut falleret, & Regum incautum teneret, ut Piasecius dicit) petierat, eoque Rex Maximilianum Przerembski cum aliquot Consiliariis Suecis miserat, contra Regios infesta signa pramovit, ratus se posse eorum paucitatem multitudine sua facile opprimere, maximè, quod nulla tormenta, exiguumq; apparatus bellicum haberet. Plura hac de re, si vis, lege in Piasecio fol: 189. & subsequentibus. In quibus & hoc addit, quod post discessum Regis ex Suecia, Carolus Calmariam post sex mensium oppugnationem ceperit, & ex obsesibus quadraginta octo Nobiles Suecos, qui eo confugerat, Regi fidioliores, una cum Præfecto suo Joanne Sparre & Christophoro ac Laurentio Andree securi jufferit percuti, & quod ita tota Suecia in potestatem Caroli concesserit. Quibus omnibus non contentus Carolus tandem Anno 1599, perpetuò (utor verbis Piasecii Tui fol. 209) per totum Regnum talem carnificinam excercebat, ut nullus hiscere contra Ipsius dicta vel facta amplius auderet, nisi simul de vita, bonis liberisq; periclitari vellet. Comitia Stockholmie indixit, & in iisdem quasi dubius questionem instituit, quid expectandum esset à Rege Sigismundo, qui ad literas eorum Lincopia datas, nihil responderet, annè obedientia illi præstanda esset, qui Regni curam nullam haberet? Certatim omnes, in his

Comitiis, (quod ab ipso desiderari sciebant) Regem Sigismundum Regno abdicarunt, renunciante jurejurando & fidei, qua hactenus ei obligabantur, non excluso tamen à spe successione Regni Vladislao ejus filio, si intra semestre in Regnum veniret, & in Religione ac legibus Sueticis instrueretur. Quæ abdicatio ansam & originem omnium turbarum dedit, & an jure abdicatio ista facta sit, aut fieri potuerit, aliis dijudicandum relinquo.

Carolus post hanc abdicationem Sigismundi Regis, gubernationem Regni absque Titulo Regio continuavit, ad annum 1607. quo magno omnium Ordinum consensu in Regem Sueciæ coronatus est, unione hæreditaria (ut vocant) jam ante 1604 Norwiciæ renovata. Prudenter certe imitatus Augustum, qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine Principis, sub imperium accepit. Quomodo deinde Carolus infesta arma Livoniæ, Provinciæ Poloniæ, intulerit, & dubio Marte sæpius dimicaverit, & quod Zamoscius Carolo per tibicinem hoc exprobraverit, quod contra morem non solum Christianorum, sed & gentilium, stantibus intra Regna Poloniæ & Sueciæ pacis fœderibus, nulla laceratus injuria, nec denunciato bello, Provinciam Poloniæ Livoniam invaserit, & patruus nepotem Regno paterno spoliavit, oblato ipsi duello, quo tantæ injuriæ, justo Deo judicio discernentur, nihil dico, quia hæc in Piascio omnia leguntur. Sufficit tibi demonstrasse originem belli inter Suecos & Polonos, non à Polonis, sed à Suecis ortam. Paulò fufius hæc Tibi, quam optas, forte, deduxi, sed hoc rei necessitas exigebat, ut omnibus luculentissime de fundamento totius hujus belli constaret.

Jam mihi narranda veniunt tempora Gustavi Adolphi Regis Suecorum, successoris Caroli Patris, Qui jam anno 1614 cepit Moschis, contra Polonos, (qui illum nullatenus offenderunt) auxilia ferre, & ita illos nulla data causa irritare.

Quæ deinde ex Piascio de præparatoriis Regis Sigismundi, ad

ad recuperandum Paternum Regnum, allegas, leguntur quidem apud dictum Piaſecium fol: 357. aſt addere debuiffes, quæ paulò ante fol: 356. ſcribit. *Difficilioris quoq; belli cum Suecis omne Sigismundi Jus in illo Regno Guſtavo Adolpho Caroli Regis filio deferentibus, jam inde initia apparebant, portento. ſumq; inde brevi exiturum belli Ducẽ prænunciabat Monſtrum Marinum, ad finem anni præteriti Calmaria captũ ſesqui ulnas longum, in cujus capite gladio pinna ſimilis, in tergo autem tres haſtarũ cuſpides, & ab ore bini dentes elephantini, ab umbilico pes humanus prominebat, cum expreſſis in latere verbis, Uæ, Uæ, Uæ homo.* Putasne jam Thraſimache, Regem Sigismundum nihil debuiffe, contra poſſeſſorem (ne ſeſteriori utar verbo) Regni ſui tentare, & ad minimum poſſeſſionem ipſius turbare, ne de quietâ & pacifica, non interrumpã poſſeſſione gaudere poſſet? Credisne hanc expeditionem, quia non ex voto, ob rationes quas ipſe ex Piaſecio innuis, ſuceſſit, injuſtam fuiſſe? Qui ſuum vendicat, nemini injuriam facit. Non ſemper juſtitiam felicitas ſequitur. Interdum injuſtiſſima bella feliciffimos habent progreſſus. Sed hæc Anno 1616. acta ſunt.

Antequam autem Rex Sigismundus hanc expeditionem, de qua jam dicitur, ſuſciperet, ſæpius Tractatus Pacis cum Rege Guſtavo Adolpho tentavit, & jam Anno 1613. propenſum animum ſuum ad pacem teſtatus eſt in literis ſuis ad Regem Guſtavum, de data Varſaviæ Junii Anno 1613. Quod idem Rex Sigismundus in literis ſuis ad Regem Guſtavum 10 Januarii Anno 1614 Varſaviæ ſcriptis repetiit, in quibus inter alia hæc habentur. Verba ipſa Epistolæ dabo. *Litera Dilect. Veſtra 18. Septem. Holmiæ ejusdem cum prioribus tenoris, per tubicinem allatæ nobis mense Novemb. proxime elapſi, Varſavia redditæ ſunt, in quibus hæreditarii noſtri Juris in Regnum Sue-*
cia

cia titulum, iterum Dilect. Vestra omittit, simulq;
agrè fert, queriturq;, Nos in prioribus literis Nostris non
solum Regalem, sed etiam hereditarii Principis titulum
prætermisisse, alio in ejus locum, quo Dilect. Vestra
neq; nunc utitur, neq; antea unquam usa est, substituto,
eamq; se justam satis, literarum nostrarum non recipien-
darum causam habuisse, scribit; ne tamen pacis publica
tractatio præcideretur, literas nostras aperiri, easq; præ-
legi sibi permisisse, ea nihilominus conditione reservata,
ne ex suscepto hoc pacis atq; amicitia restaurandæ negotio
sibi aliquid in præjudicium cederet. Nos itaq; tametsi
multò equiores causas haberemus, iterum literarum Dil.
Vestræ non admittendarum, in quibus Regalis Noster
Titulus (quem jure legitimo atq; hereditario accepimus,
& absq; turbis ac tumultu, sine perjurio deniq; & huma-
ni sanguinis effusione pacificè acquisivimus) iniquè &
immeritò omissus est, ablatuq;, quod suo tempore, si res
postulaverit, veris ac certis sufficientibus documentis de-
monstrabitur, potiore tamen afflictæ Patriæ curâ ductos
Nos, indiesq; duci palam testari volumus, nullamq; in
nobis moram esse, quin omni ratione ex æquo bonoq;, sine
ulteriore vexatione Provinciarû, sanguinisq; effusione, à
violento hoc Imperio & imminente impostero exitio
vindictur. Ad quod cum accederent consilia Serenissi-
morum Gallia & Magna Britannia Regum, libenter om-
nis posthac mali evitandi causa, ea admisimus, animiq;
nostri sententiam, quam potuimus, clarissimè diligentissi-
mèq;

mèq; Dilect: *Vestra* explicandam censuimus, ut consensum verborum factorumq; à nostra parte, pacisq; in Nobis & concordia curam amoremq;, si quis veritati & equitati locus fuerit, animadvertat, agnoscatq;. Interim multas magnasq;, quibus sæpè & immeritò affecti sumus, injurias seponimus. Regale tamen jus Nostrum in Regnum Sueciæ per summum nefas pati nobis adimi, neq; Jura nostra, neq; dignitas finit. Quod itaq; ad Titulum attinet, quo tanquam novo & inusitato Dilect: *Vestra* compellatam se scribit, is hereditarius Serenissimi Parentis Dilect: *Vestra* fuit, quem in coronatione nostra, præstito Nobis perpetuæ fidelitatis ac securitatis juramēto, & Ducatu Sudermannia, Noricia & Vermelandia, cum debita reverentia & submissione accepto, ipsi tanquam subdito & Vasallo Nostro ipsiusq; legitimis masculis heredibus Regia Nostra auctoritate concessimus, & confirmavimus, eoq; Dilect: *Vestram* in literis nostris compellavimus &c. &c. &c. Cætera omitto quia asperiora sunt, quæ aures tuas offendere possent, & ego hæc ad nullius offensionem, tantum ad eruedam veritatem, scripta volo.

Tractatio pacis inter hos duos Reges tum temporis nullum habuit successum, & hoc ob certas conditiones quibus Rex Sueciæ Tractatus hos circum scribere voluit, de quo Senatores Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ in responsoriis suis ad Senatores Sueciæ, Varfaviæ 6 Junii Anno 1614 datis, conqueruntur his verbis: Quo magis mirati sumus Illustrē Principem Dn. Gustavum Adolphum Sudermaniæ Ducem, in suis ad Reg: Majestatem literis ita futuros istos tractatus definire, conditionibusq; circumscribere, ut appare-

B

at eum

*eum causa sua diffisum, cognitionem ejus subterfugere vel-
le. Nos contra equissimum putamus, ut totum id, de quo
inter nos & S. R. M. ac vos orta est controversia, fune-
stiq; belli origo, arbitrio Judicioq; Principum, qui curam
pacis constituenda suscepturi sunt, permittatur &c &c &c.*

Magnà curà Elector Brandenburgicus Joannes Sigismundus in
id per plurimos annos incubuit, ut bellum illud per interpositio-
nem Regum Gallix, Anglix, Daniæ & per Confederatos Belgii
Ordines componeret, missoq; Barone Ketlero ad prædictos Re-
ges, & Stat^o multo labore & impensis promovit, sed infelici succes-
su, ut statim audies.

Rex Gallix summoperè laudat propositum Regis Sigismundi,
controversiam hanc per arbitrale judicium præfatorum Regum
& Statuum sopiendi, & hæc ad illum Mense Novembr. Anno 1614
scribit. *Nous avons recen les lettres, que vous nous avez
escriptes le ix de Juilliet par l' adresse de Nostre cher
Cousin le Marquis de Brandeburg, Prince & Electeur du
saint Empire, touchant les differents, qui passent en-
tre vous & le Prince de Suede, en la resolution, que
vous avez prise de deferer le jugement arbitral aux Roys
& Potentats Vos amis & aliez. Laquelle nous lo vons
& estimons pour le bien qui en recusira, & les maux que
pourra prevenir un bon accord, qui vous sera moyennè
par l' entremise commune des dits Roys &c. &c.*

Quo animo Jacobus Rex Anglix erga hanc tractationem Pacis fu-
erit, testatur in literis suis anno 1615 ad Regem Polonix his verbis.
*Quod S. V. à nobis petiit, una cum Serenissimo Principe
Charissimo nostro cognato Electore Brandenburgensi, ut Le-
gatos nostros Stetinum in Pomeraniam mitteremus, ad au-
dien-*

diendas & decidendas illas controversias, quæ inter S V.
& Principem Sueciæ diu flagrarunt, quod etiam Christianis-
simus Rex, ut literæ Vestrae præ se ferunt, facere decre-
vit: Nos cupientes satisfacere desiderio vestro, dabimus
in mandatis Legato Nostro, qui in Gallia residet, ut ex-
ploret animum Gallorum Regis, quo tempore suos Lega-
tos mittet, quo nostri possint esse paratiores ad illud iter
capeendum & munus obeundum &c. &c.

Dum hæc aguntur & Consiliarii Electoris Brandeburgici ad
Senatores Regni Sueciæ 26 Aprilis Anno 1615 scribunt, illisq; no-
tum faciunt, Reges Galliæ & Angliæ statusque Confœderatos
Belgii tanquam Mediatores primam diem Septembris ejusdem
Anni ad compositionem funesti hujus belli instituisse, & locum
Stetinum designasse, Senatores Regni Sueciæ literis suis ad prædi-
ctos Consiliarios Brandeburgicos Stockholmiæ 6 Junii An. 1615.
scriptis respondent: Brevem esse terminum, deinde conquerun-
tur Regem Poloniæ, in literis suis 10. Jan. Anno 1614 scriptis (qua-
rum ante jam mentionem feci) innuere, se de prætenso jure suo,
in Regnum Sueciæ, tractare velle, de quo nulla mentio in Tracta-
tibus fieri debeat, Quia Rex eorum nullo modo permittere pos-
sit, Decretum Ordinum de renunciatione Sigismundi Regis Po-
loniæ, optimis innixum rationibus, in ullam disputationem aut
dubium vocari. Adduntque quod nisi Ser: Elector hoc à Rege
Poloniæ impetrare possit, & eò ipsum disponere, ut nihil de con-
troversia Regni, aut quod de eo dependet, aut Regno adhæret,
moveat, Tractationem pacis irritam fore, inanesque interponen-
tium Regum & Rerum publ. sumptus. Cum vero has Tractatus
pacis condiciones Elector Brandeburgicus literis suis ex Castr.
Schönflissen Calendis Quintilis Anni 1615, ad Regem Sigismun-
dum præscriberet, tale responsum pridie idus Sextilis eodem An-
no tulit, his verbis: *Quod verò Illustritas Vestra nobis si-*
B 2 *nificat*

gnificat Ordines Suecia, priusquam ad rem ipsam susceptumq; negotium ventum fuerit, scire velle, quid nos de Jure Nostro ad Regnum Suecia hereditario statuere in animo habeamus, novum planè & indignum esse, quod flagitant, facile quivis judicare potest. Hoc ipsum enim in questionem disceptationemq; venit, an nobis Regnum Suecia debeat, Nosq; per summam injuriam paternâ avitâq; hereditate exuti spoliatiq; in integrum restituendi simus. Id nos omni ratione asserturi probaturiq; sumus, id verò Reges per Commissarios suos expensuri, & deniq; secundum Jus & æquū arbitrari sententia decreturi sunt. &c. &c. Tandem Tractatio ista pacis, cujus præparatoria per tot annos durarunt, in fumum abiit, & Legati Regis Sigismundi, Andreas Przyemski, Georgius Pose, & Smogolecki morâ Stetini complurium dierum factâ, rebus infectis abierunt, nullis comparantibus Legatis Sueticis, prout vehementissimè in literis suis ad Electorem Brandenburgicum Stetini .s. Septembris Anno 1615. scriptis conqueruntur, dicentes: *Quemcunq; casum suscepta actio habitura esset, ad diem & locum condictum præsto esse voluisse, ut quam maximè palam facerent, & Sueticis & omnibus, R. Mtem. omnes rationes pacificationis quaesivisse, nihilq; commodis suorum & publica tranquillitate antiquius habuisse.* &c.

Cujus jam culpâ hæc Tractatio Pacis successione caruerit, judicet Orbis. Hæc omnia quæ dicta sunt, si præmisses illis, quæ ex Piafecio, de expeditione anni 1616 Sigismundi Regis contra Sueciam allegas, facilè quivis judicasset Regem Sigismundum, post irritos hos, tanto molimine institutos, Tractatus, non sine causa de bello inferendo Sueticis cogitasse. Nec est quod glories minus

nus felicem fuisse expeditionem hanc. Dum enim considerabis Comitem ab Altheim non tantum promissis non stetisse, sed multa imprudenter egisse, agnosces malum valdè in aulis Principum commune, quod credulo Principi sæpè novorum consiliorum autores imponant. Sed hoc minimè probat, per Polonos, non per Suecos stetisse, (prout Tu asseris) quod pax non coaluerit: Nam contrarium evidentissimè demonstrare, & porrò probare possem, nisi tædiosum esset, in re tam clara, plura verba facere:

Præterea ea quæ Sueci proditione Farensbachii in Livonia Anno 1617, cum tempus induciarum ab ipsis cum Rep: Polona, præcipuè pro Provincia Livonia stabilitum, nondum præterierat, (teste Piafescio fol. 361.) egerint, tibi quæ probandum relinquo, liceat ne tempore induciarum talia moliri. Quo jure Rex Gustavus Adolphus Rigam metropolim Livoniæ Anno 1621 occupaverit, de cujus felici expeditione ita gloriaris, audi narrantem Piafescium fol. 413. dum scribit; *Ut enim ad Livonica transeamus, Gustavus Rex Suecia ea opportunitate (nempe gravi bello Turcico Polonis implicatis) utendum ratus, cum viginti quatuor millium exercitu in Livoniam veniens, initio mensis Septembr: Rigam obsedit & oppugnavit, summa celeritate propè ejus Vallum productis operis, cuniculisq; actis.* Et postquam Piafescius in dicto loco enarrasset quo pacto Riga in potestatem Suecorum venerit, ita concludit fol. 414. *Atq; ita hoc anno Poloni dum contra Christiani nominis hostem cum summo suo discrimine certabant, à Christianismet majora detrimenta acceperunt, sine ulla denunciatione belli, quam hostis ex formula induciarum præmittere tenebatur.*

En habes Piafescii descriptionem felicis hujus (ut eam vocas) expeditionis contra Rigam, Quod ad Annum 1623. attinet mi-

rorte quædam tantum ex Piafecio decerpisse, omisis plurimis, quæ maximè addere debebas; sed hæc fortè non pro te sed contra te militant. Audi quæso Piafecium, quid ille fol: 477, dicat, de iis quæ anno 16:3 inter Sigismundum Regem Poloniæ & Gustavum Regem Sueciæ acta sunt. Cum in super Regem Sigismundum transire Gedanum intellexisset (Scil: Gustavus Rex) eum classem ibi apparatus, translationisq; tãti belli initia faciurum credebat, & partim presidis firmioribus muniri curaverat maritimas suas Arces, navibusq; triginta quinque (istis Suecia abundat) collectis, ipsemet sinum Balthicũ decurrens, propè portum Gedanensem appulerat, observaturus illius rumoris progressus. Sed præter opinionem suam pacata omnia reperit, & licet non difficile fuisset, eum insolentem nimium (ad singulos tormentorum in honorem Regis vel in introitu, vel sub conviviis in signum lætitiæ exoneratorum sonitus, ille quoq; non minori fragore in anchoris stans respondebat) rejicere, ad quod aderant in illo portu novem Prætoris Regiæ naves, & alia Civitatis ac mercatorum propè centena, operamq; suam ad hoc Joannes Weier Palatinus Culmensis offerebat, tamen Rex Sigismundus stantibus Induciis ratus non laceffendũ hostem, satis habuit, quod Regni Senatores, qui aderant, miserint ad eum expostulantes, de induciis violatis. Præ se ferebat ille tunc, quod ad tractandã pacem inclinaret, sed tã importunè, absq; præparatione, cum hoste tã superba ostentatione tumète, tractare, indignum videbatur &c. Te ipsum Judicem appello, an hæc probent Regem Sueciæ Gustavum tum temporis pacem Polonis (ut tu scribis) æquis conditionibus obtulisse? Annè potius clarissimè demonstrant Regem Gustavum

vum

vnm inducias violasse, & Regem Sigismundum Poloniæ è contra moderationem animi sui & pacis studium abundè declarasse, quod Regi Gustavo cum posset, nullum damnum intulerit. Et cum tum temporis Magistratus Gedanensis per Secretarium MITTENDORFIUM Regi Gustavo cibaria non nulla mitteret, planè non ægrè tulit Rex Sigismundus, immò quosdam Polonos injuriosis verbis Regem Gustavum proscindentes, severè coercuit.

Quæ ad annum 24. & 25. ex Piasecio annotas, parum Te juvant. Nam hæc potius probant Suecos alienos fuisse à pace cum Polonis durissimas conditiones, quas nullo modo inire poterant, proponerent. En tibi Piasecium Testem fol. 452. *Nec induci poterāt (scil: Sueci) ad prorogandas illas inducias, in tractatu interim super hoc habito, nisi Rex Sigismundus eas longiores, nempe in multos annos, esse vellet, vel Sueciæ Regno se abdicaret, pacemq; faceret perennem.*

Quo pacto Rex Sueciæ Gustavus Anno 1626. in Prusiam irruerit, & brevi spacio magnam partem Borussia occupaverit, omnibus notum, ut non opus sit ea hic fusius deducere, sed potius, quomodo & quibus intercesoribus Induciæ sexennales Anno 1629. factæ sint, dicendum. Ordines fæderati Belgii plurima incommoda ex hoc bello Sueco-Polonico sentientes, primi quoq; Legatos suos tam ad Regem Sueciæ, quàm ad Regem Polon: An. 1627. miserunt. Qui in oratione sua ad Regem Polon: habita 6 Julii An: 1627. luculenter declarant, in qua consideratione apud illos hoc bellum fit, dum dicunt: Bellum quod jam dudum de Sueciæ aliorumq; Regnorum jure geritur, quamdiu in Livoniæ margine hæsit, neq; S. R. Mti. tuæ neq; Regno Poloniæ, neq; communi commerciorum usui usq; adeo molestum fuit, ut ei extra ordinem obviam ire S. R. Mtis. Vestræ magnanimitas necesse duxerit. Et jam propè, ut lenti mali cura, temporis remedio relictum erat, postquam id in Borussia partes translatum est, Oppida aliquot & Pillaviensis freti angustia, in quietissima illa Provincia occupata, portus celeberrimæ Gedani-

nensi-

nenſium Urbis, ac Viſtulæ fluminis exitus ocluſus, tùm verò & S. R. Mtas: Veſtra & Poloniæ Proceres, limitis ſui curam & deſenſionem reſpicere, & amicorum Veſtrorum ſtudia ad tam præſentes difficultates, quæ ſeſe ultra hujus quoq; Regni terminos effundunt, excitare ceperunt. Fœderatorum Provinciæ Ordines etiam Reipub. Chriſtianiæ intereſſe putavère, ulteriores hujus belli progreſſus, commodis rationibus coerceri &c &c. Teſtantur quoq; iidem Legati in hac oratione Regis Poloniæ propenſionem his verbis: Præcipuè cum neq; S. R. Mti: Veſtræ animus unquam ab
„ honeſta & certa pace alienus fuerit, & jam uti ſperamus, tanto mi-
„ nus pro ſua pietate & clementia abhorreat, quanto bellorum diffi-
„ cultates florentiſſimo Poloniæ Regno propius minitantur. Hæc
„ contraria ſunt illis, quæ narras, Guſtavum Regem, Regi Poloniæ
„ pacem per Hollandicos Legatos obtuliſſe, ſed fruſtra.

Fruſtra non fuit, miſit enim Rex Poloniæ Joannem Zawadzki-
tunc Secretarium ſuum, poſt Palatinum Pernaviensem, Danti-
ſcum, menſe Decemb: Anno 1627. communicandi gratia cum Do-
minis Legatis Hollandicis de tempore & loco inchoandorum tra-
ctatum. Elector Brandeburgicus quoq; miſiſ legationibus tam
ad Regem Poloniæ, quam Sueciæ, pacis negotium ſedulo & felici-
ter promovit, & tandem mediantibus Legatis Regis Galliæ, Angli-
æ, ut & Ordinum Confœderatorum Belgii, Induciæ ſexennales 26.
Sept: Anno 1629 concluſæ fuerunt. Ad quas acceptandas prom-
ptus fuit Rex Guſtavus, ex ſuo potius, non, ut tu ſcribis, Poloniæ
uſu. Deinde inductus perſuaſionibus Legati Galliæ Charnacæi,
qui ſecretò hoc cum Rege Guſtavo tractaverat, ut res collapſas fe-
rè illorum, qui nimiam Domus Auſtriacæ potentiam inviſam ha-
bent, reſtauraret, ut apparet ex articulis fœderis, eo nomine initi.

Cum hoc bellum Sueco-Polonicum ad tempus ſopitum eſſet,
Rex Guſtavus Anno 1630. in Germaniam ivit, proſtigatiſq; brèvi
tempore Cæſarianis ex Pomerania, magnos progreſſus in Germa-
nia feliciter fecit, quæ cum hujus loci non ſint, prætereò, aliisq;
narranda relinquo, Dum verò Rex Guſtavus feliciffima arma ſua
per

per totam ferè Germaniam circumfert, Rex Sigismundus Poloniæ ultima Aprilis Anno 1632. moritur. Post cujus mortem cum Vladislaus filius concordiam omnium suffragio Rex Poloniæ renunciatus esset, literas affectu plenas ad Regem Gustavum mense Novembr: Anno 1632. dedit, quasq; hic de verbo ad verbum inserere, consultum visum, ut omnibus pateat, quam prono in pacem fuerit animo Rex Vladislaus. Verba literarum hæc sunt.

Serenissime Princeps Dne. Patruæ Charissime. Præteritane non tam odia, quam arma, neq; morem Principum, neq; jura naturæ obliterare possunt. Proinde nos utriq; obsecundantes nunciare volumus Serenitati Vestræ, Supremo Regi Regum placuisse, ut evocato ad immortale Regnum Divæ memoriæ Parente nostro, nos in Sceptrum ejus succederemus, quod nobis concors Ampliss: istius Reipub: Ordinum Vox & suffragium paucis antè diebus detulit. Quod cum ad communem Regiæ Domus nostræ gloriam & felicitatem pertineat, facile fore confidimus, ut Serenitas Vestra non modo lato id accipiat affectu, sed etiam & pietatis Christianæ & cognatæ Charitatis officiū funeri Dn. Parentis & inaugurationi nostræ exhibeat, illi in 24. huic in 30. diem Januarii, proximè Cracoviæ incidenti. Gratum verò imprimis fore speramus Serenitati Vestræ id amicè compellationis officiū, quo eam antevertere volumus, ne aut morem Principum, aut naturam exuisse videremur. Quia Serenitas Vestra hoc primo affectus nostri argumento conjiciet, nos cupere compositis ex dignitate utriusq; nostrum armorum causis, expeditius deinceps jura sanguinis colere, rati idem cordi esse foreq; Serenitati Vestræ ob eum Sanguinis nexum, qui fortunã & digni-

C

tatem

tatē amborum ita connectit, ut nihil alterutri adversum, nihil gloriosū accidere possit, quin ad utrūq; pariter pertineat. Quod reliquū est, Ser: *Vestra prosperā ac diuturnā valetudinē a Deo precamur. Data Varšav: 18 Novēb: An: 1632* Subscriptæ erāt, *Ejusdē Serenitatis Vestrę Benevolus Nepos.* Sed literæ hæ non pervenerunt (quod maximoperè dolendum) ad manus Regis Gustavi. Nam jam ante eodem mense Novemb: Rex Gustavus contra Cæsarianos propè Luzenam fortiter dimicando, gloriosè occubuerat, qui ob insignes virtutes suas longiori vita dignus erat. Quod eò magis deplorandum, quod non licuerit Regi Vladislao cum Gustavo superstitute tractare. Nam planè mihi persuadeo, quod & alii magni nominis Viri credunt, hos Reges pacem firmam & diuturnam facturos fuisse; Tum propter amorem, quò se invicem profèquebantur, cujus non obscura dedit argumenta Vladislaus, dum adhuc Princeps cum Rege Patre in Castris Prussiæ effret, non sine murmure multorum, nec minorem inclinationem erga Vladislaum Gustavus in privatis Colloquiis testatus est; Tum quod florentibus rebus Sueticis in Germania, tacitè Rex Vladislaus favebat.

Postquam verò tempus sexennialium induciarum anno 1635. ferè expirasset, denuo, intercedente & procurante Electore Brandeburgico, de prorogandis induciis actum fuit. Quæ etiam 12 Sept. Anno 1635 mediantibus legatis Galliæ, Angliæ & Ordinum fœderatarum Provinciarum Belgii, inter Regem Vladislaum & Christianam designatam Reginam Sueciæ, successores ejus, Reges Suecorum, Regnumque Sueciæ ad viginti sex annos prima Julii stylo veteri anno 1661 terminandos, pactæ fuerunt, de quarum ruptura nunc potissimum disputatur.

Tu, mi Trasymache, magni beneficii loco allegas, quod Sueci bis magnis sumptibus, & (ut tu dicis.) *corrogatis hinc inde Mediatoribus* Legatos Lubecam miserint, sed considera, Suecos ad hoc obligari per XXII. articulum Induciarum, In quo
115113 hęc

hæc expressa habentur verba: *Durantibus ac currentibus hisce Induciis agatur de pace perpetua loco ac tempore interuentuq; Principum Mediatorum, de quibus inter partes, cura ac diligentia Illustris: Ducis Curlandiæ, conuenit: Ita tamē, ut si tractat9 pacis perpetuæ semel aut iterū nō successerit, firmæ nihilominus & inuolabiliter maneāt Inducia usq; ad exitum hisce pactis præfinitum.*

Quod Rex Poloniæ in Plenipotentis Legatorum TITULO REGIS SUECIÆ usus sit, non est quod ægrè feras. Nam si Rex Poloniæ omni jure suo, quod in Sueciam habet, renunciare debebat pacis ergò, quare non debuit Titulo isto ante renunciationem, quam ritè facere non potuit, nisi se Regem Sueciæ antea dicere, uti: Deinde cum Pater ipsius à Carolo Patruo, præter fas omne, hereditario exclusus fuerit Regno (Kobierzicius Castellanus Gedanensis, quem tu Florētissimum historiæ Vladislai principis Scriptorem nominas, prout meretur quoq; hanc laudem, scribit, initio historiæ suæ) & ille Patri & Fratri in eo successerit, Sueci non debent illi inuidere, quod hanc notam justæ prætensionis suæ usurparet. Nec inuenio in publicis tabulis Induciarum, quod prohibeatur Titulo Regis Sueciæ uti. Insuper in hoc conventu Lubecensi primo tractari debebat, de eo, an Rex Poloniæ tam titulo Regis Sueciæ, quam omni prætensione & jure suo in Sueciam cedere deberet? & ridiculum fuisset, si se Titulo isto ante tractationem pacis ultro abdicasset.

Eadem est ratio de SIGILLO, & quod in eo insignia Regni Sueciæ & nomen Regis Sueciæ insculptum fuerint, non est cur offenderit Legatos Sueticos. Nam cur ad signandas Plenipotentias tantum, alio Sigillo, quam quo ordinariè in Cancellariâ Regni omnia obsignantur, uti debebat. Sed firmiter credo R. Majestatem se ad hoc induci passuram fuisse, ut & Titulo, & insignibus Sueticis abstinuisset, dummodo spes aliqua apparuisset Succos sinceram
C 2 & duratu

& duraturam pacem cupere. Verum hæc tantum inventa fuerunt, ut fucum Sueci exteris facerent, quasi justam habuissent causam abrumpendi tractatus.

Optima quoque intentione Canasilius in Sueciam ad Reginam Christinam missus fuit, ut contestaretur Regis & Procerum Poloniae promptitudinem, Legatos in Sueciam Plenipotentis sufficientibus, instructos, brevi mittendi; & de pace perpetua transigendi. Cum autem eo ipso tempore Regina Christina inusitato inauditoque in fœmina exemplo, Regimen Sueciæ deponeret, & in modernum Regem Carolum Gustavum transferret, non tale, quale sperabat, retulit responsum. Nec ad Regem admittitur, sed per Magnum Cancellarium Regni Oxenstirnum (qui merito non tantum titulo *Magnus*, sed re ipsa fuit, *summusq;* dici meretur Politicus, cui Suecia debet, quod in tam florido jam sit statu) expeditus fuit, prout Tu ipse testaris, refersque verbotenus Responsum, quod hic non repeto.

Postea quam Canasilius rediisset, denuo visum Morstenium Camerae familiarem S.R. Majestatis in Sueciam ablegare, ut de preliminaribus circa locum & tempus futurorum Tractatum tractaret. Sed quia in literis fiduciæ (vulgo credentiales) sub finem scriptum erat, *Regnorum nostrorum*, & vocula, *& cætera* omissa esset, offendebat hoc denuo Suecos, licet in literis ipsis Titulus utriusque Regis ad placitum Suecorum scriptus esset. Magna hæc certè, & minimè laudanda curiositas in his minutioribus. Nec debuisset levis ille defectus affectum ab utrinque sincerum ad conciliationem animorum, negotiumque stabiliendæ pacis inter hæc Regna perpetuæ turbare, ut prudenter Senatores Regni Poloniae ad Senatores Regni Sueciæ 15 Maji Anno 1655. de hoc negotio scribunt, ad quas literas Te remitto, in quibus uberiores objectionis hujus Tuæ leges responsum.

Licet verò Rex Senatoresq; Poloniae merito offendi potuissent, quod nec Canasilius, nec Morstenius ad Regem Sueciæ admissi, aut ab ipso auditi, sed planè contemtum habiti fuerunt, ta-

men

men ne in se quicquam desiderari paterentur, Goraiscium Castellanium Kioviensem Legatum, cum plena potestate in Sueciam destinarent, quem, dum in procinctu esset, mors prævertit, & huic negotio moram injecit. Sed hoc non obstante statim Rex Senat^{us}q; Poloniæ in eam curam incubuerunt, ut alios in locum defuncti substituerent. Sollemnissime ergo, ex placito Comitali, in Comitem Lesczinium Palatinum Lenczicienssem & Naruszewicium hoc munus imposuerunt. Qui cum in Sueciam appulissent, & arma in Poloniam parata vidissent, non destiterunt Regem Sueciæ optimis rationibus inducere, ut tractationi pacis locum daret. Sed nullatenus bellum hoc avertere potuerunt.

Judicet jam universus Orbis, quis huic funesto bello originem, quis causam dederit, & an per Polonos aut per Suecos steterit, quod pax firma tamdiu nõ coaluerit. Certè ille, qui, quæ hic scribo, absq; pravo affectu leget, singulaq; ex probatis authoribus, Actisq; publicis deprompta, considerabit, confitebitur non Polonos, sed Suecos semper à pace abhorruisse.

Lege quæso XXII. articulum Induciarum viginti sex annorum quem ante citavi, in quo disertis verbis habetur, ut si Tractatus pacis perpetuæ, semel aut iterum non successerit, firmæ nihilominus & inviolabiles manere debeant Induciæ usq; ad exitum huius pacis definitum; Videbis nullo jure potuisse Suecos post tentatos Tractatus pacis, post tot missos à Polonia Legatos pacem offerentes, Inducias rumpere, & bellum tam cruentum Poloniæ, nihil minus quam hoc expectanti, inferre. In memoriam tibi revoca, quid Legati Suetici Lubecæ Legatis Polonicis promiserint, nempe *Suecos sincerè & inviolabiliter Inducias, usq; ad tempus Inducis definitum, servaturos.* Quod scio eos non negaturos, quia promissio hæc subscriptione manuum Legatorum Sueticorum firmata fuit. Deus bone, qua fide hæc tam sollemnissimè promissa oblitterata sunt! possent hic Poloni, me interprete, merito de fide Legatorum conqueri, & in illos torquere tritum illum versiculum, Nulla fides pietasq; Viris qui castra sequuntur, sed no-

lo injurias injuriis compensare. DEUS justissimus vindex hæc judicabit.

At dicis, Polonos inducias fregisse, & quod apud omnes gentes receptum sit arma justissime maturari in partem, quæ fidem Induciarum fregerit. Hanc propositionem non semper locum habere, Magnus ille GROTIUS Legatus quondam Sueticus in Gallia libro suo de jure belli & pacis docet fol: 247. Si pars una foedus violaverit, poterit altera à foedere discedere. Nam capita foederis singula conditionis vim habent, & post quædam allegata ex Thucydide concludit, sed hoc ita verum est. Ni aliter convenerit, quod fieri interdum solet, ne ob quasvis offensas à foedere discedere liceat. Idem fol: 513 ejusdem libri scribit. Servada fidem etiam perfidis, & Salustium inducit dicentem: Bellis Punicis omnibus cum sæpe Carthaginenses & in pace & per inducias multa nefanda facinora fecissent. nunquam ipsi per occasionem talia fecerunt. Apianus de Lusitanis foedifragis, quos Sergius Galba, nova pacto deceptos, trucidaverat; Perfidiâ, perfidiam ultus contra Romanam dignitatem barbaros imitabatur. Vides ergo hanc, quam ponis regulam, non absolutè veram esse, & multò minus probabis Polonos Inducias violasse. Sed examinem objectiones Tuas.

Primò dicis, conditionibus Induciarum pactum esse, quod Rex Vladislaus ac ejus Successores Reges Polonia atq; Regnum Polonia & Magni Ducatus Lithuania cum Provinciis & Principibus sibi subjectis nihil hostile moliri debeant, duratibus istis induciis, contra Christianam Reginam Regnumq; Sueciae, ejus provincias ac Civitates, nulla classe armata uti, neq; aliis quibuscumq; subministrare, contra illud Regnum.

Vera

Vera hæc quidem sunt & continentur ferè iisdem verbis Articulo XX. & XXI. in pactis Induciarum. At videamus, an hos articulos Induciarum Poloni non servaverint? Ad conciliandam invidiam Polonis, dicit quidē *Nosfonskium Præfectum Lomzensē sex millibꝯ equitum Polonorū Casarianum exercitū auxisse, & contra Gallos fæderatos Suecorum dimicasse.* Sed quid hoc ad rem. Nam contra vos nunquam pugnarunt, & ex Gallia severioribus comminationibus revocati sunt à Proceribus Poloniæ.

Pergis, *Bothium in Livoniam & Crokovium in Pomeraniã excursions fecisse. & quod ad neutrã hosti fuerit aditus, nisi per mediã Poloniã, conclusisq; talia institui nõ potuisse, nisi Republ: Polonia non connivete tantum, sed cõspirante claculum in exitium Suedicorum exercituum.* Injuria magna Rempubl: Polonicam afficis, & innocentē accusas.

Quod ad BOTHIUM attinet, notum est, illum sub nomine Imperatoris clanculum, & manipulatim, ut ita dicam, per Borussiam Electoralem & Curlandiam transisse, ita ut nemo quid de ipsius transitu senserit, & illi quorum ditiones transibat, inscii istius expeditionis fuerint. Quam ut imprudenter susceperat, ita etiam vobis imprudentiæ suæ luit pœnas, & quidem valde severas, ut fama fert. Crokovius vi armata & exercitu suo transitum sibi fecit, non petiit, & cum nulla habeantur in finibus majoris Poloniæ fortalitia, ut scis, facile transire potuit. Et quamvis Poloni maximè voluissent transitum impedire, non poterant. Celeritate enim magna utebatur & prævertebat illorum consilia, nec tam citò Exercitus conscribi poterat, qui ipsi opponi posset. Cur ergo Poloni in causa sunt, quod ille armis sibi viam paraverit?

OSELIAM Inf lam non Sueci sed Rex Daniæ possidebat, & per Tractatus Pacis Suecis illa demum à Dano concessa est. Cur ergò Rex Vladislaus tempore tractatum Danicorum non debuit ten-

tare

care ut Insula ista, quæ ad illum jure meritò spectabat, rursus Poloniarum conjungeretur, præsertim cum tum temporis ad huc in manu Danorum, non Suecorum, esset.

Sed dic mihi, mi Thrasymache, annon irruptio Generalis Bannerii in majorem Poloniam anno 1637 omnia hæc superet, de qua gravissimè Ordines majoris Poloniarum in literis suis ad Conjugem Bannerii scriptis conqueruntur, quas ut tibi omnibusq; pateat, quid ibi contra expressa pacta Bannerius egerit, integras ponam: *Illustris & Magnifica Domina, Domina & Amica observandissima. Graviter Resp: Nostra fert & multum nos omnes afficit militis Sueci effrenata licentia, qui jure gentium violato, fines nostros hostiliter ingressi, depopulati sunt bona Illustrissimi Domini Episcopi Posnaniensis, tum bona Reverendissimi Abbatis Bledzeviensis, in finibus nostris sita, ferro vastata, Domus spoliata, subditi more Tyrannico torturis & supplicio affecti, multi occisi, plurimi sanguinolentis vulneribus lasi, & quod maxime dolendum conquerendumq; est, templa Deo dicata, omni ornatu suo spoliata, cætera omnia ab his fœdifragis vastata & profanata. Hujus militis Generalis Dux est Maritus Illustris ac Magnifica Dominat: Vestra Banier, cujus intererat militem in officio detinere, incursiones in fines nostros inhibere, & tantis facinoribus in Regno nostro patratis obviare. Quæ de re visum est Nobis literis prius jus nostrum prosequi, requirimusq; & postulamus ab Illustri & Magnifica Dominatione Tua, ut hæc dâna fratribus nostris resarciantur: Hic enim mutuus Nobilitatis Polonia amor est, ut unus fortunâ suâ putent omnes. Quod quamprimum fecerit, liber ubiq; in Regno Nostro patebit egressus.*

pta

*pta interim studia nostra offerimus. Datum Szroda in
Comitiis Posnaniens: & Calisiens: Palat: 17. Julii an. 1637*
Judica Tu Ipse, an hæc in Poloniam irruptio non sit manifestissima
fractio Induciarum, quas nunquam Poloni, ut jam deduxi, viola-
runt, licet illos criminis hujus insimulare conaris. Sed cogita, quod
insimulari quivis innocens potest, revinci nisi nocens non potest.
Deniq; omnes, quos allegare potes hujus belli prætextus, morte
Vladislai extincti sunt, & illi quoq; injuriam facis, innocentemq;
lædis.

*Reginam Christinam pro Rege Joanne Casimiro in
Polonia Regē eligendo, apud Ordines Polonia intercessisse*
verum est, sed ideonè omni præensione sua in Sueciam abdicare
se debebat. Nullo Jure hoc ab ipso flagitari poterat. Quod
Gallicè ad Reginam Christinam scripserit, nescio cur in sequiorem
interpreteris partem. Nam cum Regina lingua illa valdè delectaretur,
ingenio ipsius accommodare se voluit Rex Joannes Casimirus,
Gallicè scribendo.

*Quæ de FOEDERIBUS, quæ Rex Joannes Casimirus molitur (tua o-
pinione) disferis, non sentio quid velis. Sed cur ipsi Reipublq;: Po-
loniæ non licet, cum amicis fœdera inire, quod nullibi in pactis est
prohibitum. Cur non securitati commerciorum & Maris Balthi-
ci, cujus littora longo tractu portusq; nobilissimi, citra controver-
siam, juris Prutenici sunt, prospicere potest. Nihil sanè contra In-
ducias egisset, licet in Mare Balthicum, jure suo, Classem, ut secu-
ritas commeantibus esset, misisset. Nam per Inducias prohibetur
tantum nullis navib; aut Classe maritima, cōtra Reges Re-
gnaq; Suetia uti, vel contra illos quibuscunq; auxilio sub-
mittere. Sed forte hoc male habet Suecos, quod Rex præsenferit
hoc, quod jam gerunt bellum, & quod, contra illos turbatores Ma-
ris Balthici, Portus suos tutos volebat. Nec Regem, nec Rempubl:
Poloniam de inferendo bello Suecis cogitasse, nec ideo fœdera ul-
la inire voluisse, ipsa evincit ratio & præsens status Poloniæ,*

D

quæ

quæ post tot annorum vastationes nihil quam pacem anhelabat. Sed nolo operosius objectiones Tuas refutare, quia illas Pacta induciarum satis refutant. Lege Articulum XVIII. & XIX, videbis expressè prohibitum, *injurias tam personales, quam reales,* (quas nullatenus prætereundum est) *sub hasce Inducias incidentes uni parti de altera vindicare, & quod se vera pænæ in violatores pacis fide publica roborata exerceri debeant.* Deniq; si quid gravi incidere, quod violatione pactorum cernere videretur, dari debet utrinq; Commissarii, qui loco aliquo ad fines Livonia assignando convenire & controversias ex ortas sopire accideret debet. Si verò nunquam Sueci Commissarios à Polonis expetierunt, (ut tu ipse affirmas) ad prætentas illorum injurias sopiendas aut decidendas, nullas ergò habuerunt aut habent, quæ mereantur Commissariorum Conventum, & ideo frustra illos providicandis ab injustitia armis Sueticis allegas, Sueticisq; incubuit, non Polonis Commissarios petere, quia se læsos prætendunt. Nunquam Reus Judicem expetit, sed Actor. Jam Sueci inverso Ordine in Reos (opinionem eorum) onus Commissarios petendi imponere volunt, ut ab Actoribus condemnentur. Plurima hic commemorare possem, sed cohibeo manum.

Certe nullo colore, nullo jure bellum hoc cruentum excusari potest, *sola Ratione Status* tantum. Nam an hæc permittat Christiano, ne dicam per pactas Inducias amico, Regnum tam per barbaras nationes afflictum, & ubiq; ferè vastatum, durantibus Induciis, quæ demum undecima Julii anno 1661. exeunt, maximè tū, cum Legati ad tractandam pacem perpetuam mittuntur, absq; ulla denunciatione belli, invadere, judicet Orbis Christianus. Non est Christianum, ne humanum quidem à barbaris afflictos, magis opprimere. Tum omnium Christianorum laudes meruissent Sueci, cum armis suis, quæ nunquam quiescere volunt, Polonos amicos & Christianos, contra barbaros juvisent.

Non video, cur pro justitia armorum Sueticorum dicis,

res Polonicas eò rediisse, ut nisi armis in Suecorum ditionem redigantur, succubiturum illud Regnum omne sit scævitia Moschorum, Cosacorum, Tartarorum, Turcarumq;. Insignis ratio justitiæ armorum Sueticorum. Numne Poloni Suecos rogarunt, ut illos à Moschis, Cosacis, Tartaris vindicent, & sibi Regnum sumant? Nunquam hæc audivi, nec ad te scio hæc fabula pervenit. Nullibi hanc rationem reperio, inter justas belli gerendi causas, occupare Regnum, in quod nullum jus habeo, tantum, ne alieno accedat imperio. Si Legati quondam Suecici Eximii GROTIJ librum de jure belli ac Pacis probè legisses, non hanc prætenderes belli Tui rationem. Ille enim fol. 92 (edit: Amsterdamens: in folio) dicit. *Nullam justam suscipiendi belli causam esse, nisi injuriam* Nullam autem Suecos à Polonis passos esse injuriam sole clarius jam ostendi. Ergò nec causam inferendi belli habent. Si Sueci hoc intenderent, ut Polonos, in primis Lithvanos, ab oppressione moschoviticà liberarent, & in pristinum reponerent statum, haberent consentientem GROTIUM, qui in literis suis ad amicum XXI. Octobr: Anno M DC XXXVIII sic scribit: *Decet Suedos libertati omnium favere, ut qui pro libertate non sua, sed aliena, arma etiam susceperint.* Quam te condemnaret, si te legeret, justitiam armorum Sueticorum, sic ut facis, probantem. Diceret tibi, quod Anno M DC XXX X. Decembr: ad amicum suum scribit. *Balthici Maris possessio multos inveniet certatores, Suedis sua littora curæ erunt.* O utinam illis littora tantum sua curæ essent, nec aliena invasissent! Plura non addo, ne tibi molestus sim, aut potius, ne nimium erubescas.

Venio jam ad secundum membrum Epistolæ tuæ, in quo hoc demonstrare satagis: *Rempublicam Polonam nō fuisse Moschis Cosacisq; parem, sed certè fuisse succubituram, atq; ita futurum fuisse, ut latus illud Germaniæ populis istis*

barbaris detegeretur, deinde verò novis viribus prudentiq; administratione Suecorum, ita suffulciri Poloniam posse, ut Germania ab isthoc periculo sit libera. Deus bone! quæ ratio defendens Justitiam armorum Sueticorum in Polonos? Quia verendum est, ne Respubl: Polona par sit Moschis Cosacisq; & succumbat, & ne latus illud Germaniæ, populis istis barbaris, detegeretur: ergo oportuit Suecos Poloniam occupare, ne hoc fieret. Quæ ratio consequentiæ? Dic mihi, quæso, Germania ne Regis tui opem imploravit, aut Imperator, aut Electores, missa legatione, Regem tuum sollicitarunt, ut hanc expeditionem contra Polonos in commodum Germaniæ susciperet? Non eris credo tam effrons, ut hoc asseverare velis. Vix te germanum puto, quod ex amore Patriæ hæc scribas, nec mihi persuadere possum, quod sis **ein Teutscher**/ sed potius eliso, /**ein Teutscher**/ & quod fucum facere velis Germanis, ut injustum hoc bellum approbent. Sed norunt Germani Vos Suecos, non liberatores, sed oppressores experti sunt. Nec est quod metuant Germani à Moschis aut Cosacis. Nam Moschi de occupanda Germania ne somniarunt quidem, multo minus Cosaci, quiq; nunquam tantam cladem Poloniæ intulerunt, quam brevi spacio Sueci. Hoc potissimum dicendum est, *Suecos denudasse latera Christianitatis, dum Poloniam, quæ antemurale erat, non tantum Germaniæ, sed totius Christianitatis, contra Turcas & Tartaros, vastarunt.* Prudenter adnotat Kobierzicius, Castellanus Gedanensis in historia sua Vladislai Principis, Quendam Solimanno Turcarum Imperatori hoc consilii dedisse: *Ad occupandum Europa Imperium, Christianosq; edomandos, nullam potentiorē portam Poloniæ Regno.* Multum ergò Suecis debet Europa, quod Portam illam dejecerint, ut liber Turcis pateat aditus in Europam.

Dum tam multis debilitatas vires Poloniæ, & militiam illo-

rum

rum describis, ac Starovolscium testem adhibes, inanem ludis operam. Nam quid hoc ad probandam justitiam armorum Sueticorum facit? Et si impares fuerunt Poloni Moschis & Cosacis, Tui, si Christiani esse volunt, juvare illos debebant, non opprimere, quia impares. Sed si verum dicere voluisses, & potissimam rationem belli hujus Suetici nominare, dixisses, hanc præcipuam causam esse, quod Sueci hac confusione in Polonia & imbecillitate armorum Polonicorum uti volebant, ut illos absq; magna difficultate opprimerent. Ingressi sunt absq; ulla resistantia Poloniam, multa perfidia quorundam, non sua virtute, occuparunt. Sed gaudet fortuna lætis tristitia substituere, & utraq; miscere. Nunc illa vestra fælicitas vos fortè perdet. Sic segetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur; sic ad maturitatem non pervenit nimia fæcunditas, & vos nimia fælicitas rumpet.

Causam Cosacorum agis, sed noli te quæso immiscere rei ad te non pertinenti. Nec profecto aperto Marte hæc tuta fuerit Polonia, etiam impostero par fortuna speranda, ut dicis. Imo sperari illa non potest, postquam virtus prisca militaris multum a deo mutavit, ut potissimum militem suum Polonia hodie experiatur hostem, ut tu credis. Sed scias velim jam non hostem militem illum, nempe Cosacos, Poloniam habere, sed amicum & subditum; Tuq; illum brevi experieris hostem. Et si Osmani Turcici Imperatoris copias, quæ trecentis millibus constabant, non numeratis centum millibus Tartarorum, quos Dziambek Gereius Regulus contra Polonos eduxerat Anno M DC XXI. Poloni, Osmanum adversis bellorum, irritaq; Castrorum obsidione fatigatum, ad pacem inclinare coegerunt. (ut Kobierzitius fol. 795 historix suæ testatur) cur non & Suecos multo minores viribus & potentia domare possent? Resument Poloni animos, sed malo vestro, jamq; incipiunt, gravioresq; Suecis erunt, quam putarant. *Injusta arma,* scribit Piascius tuus fol: 385. *non raro in authores recidunt, & horrendo quodam Judicio Dei, qui aliena evertunt jura,*

serò fortè, sed aliquando tandem propria quoq; perdunt.

MORES MORBOSQ; REIPUBL: POLONÆ fusè describis, & detegis, sed te non postulant Medicum, & si illos à morbis istis curare velles, non adhibere debebas remedia, morbis pejora. Nimum ferro grassaris, ut in desperatis morbis, & contributionibus extremum sanguinem emittis, nimumq; crebrò ista medicamenta tentas, ut non possit vulnus ad cicatricem venire. Sed ut interdum illi, qui medicum vident, non tam curam agere sanitatis, quam mortem accelerare velle, cum ignominia, & interdum fustibus abigunt, sic vereor ne & his Medicis eveniat.

EVANGELICIS persuadere vis, ut Suecis se adjungant. Frustr laboras. Norunt illi artes Sueticas, sciuntq; Suecos semper Religionem prætere, & nihil minus, quam illam, promovere. Testis est Germania, ubi nunquam Evangelici plura perpeffi sunt, (jurenè an injuria non dico) quam postquam Sueci illorum defensionem vel quasi susceperunt, & cum maximè libertatem Religionis illorum procurare debebant, in pacificatione Münsteriensi, eam neglexerunt, majoremq; illos opprimendi libertatem Imperatori concesserunt, quam unquam habuit. Evangelici quoq; malunt cum fratribus suis Catholicis pacatè vivere, quam jugum Sueticum subire.

Multa invidiosa contra CATHOLICOS profers, sed cui bono? Libertatem Religionis, Catholicis Sueci promittunt, & per pacta cum Lithvania, majori Polonia, Cracovia quoq; stipulati sunt. Si minus sincerè, causam tuorum corrumpis, quod detegis, quo animo sint in Catholicos. Sed considera quæso nos omnes Christianos esse, nec tuum esse de his judicare. Præstaret ut tam moderatum de illis ferres Judicium, quale Doctissimus GROTIUS Suecicæ tuæ fidelis Minister, qui in literis suis ad amicum Lutetiæ XIX. Januarii Anno M. DC. XLI. scriptis, sic inquit; *Puto fieri posse, ut aliquando contingat Ecclesie Papa, qui ad munus suum pertinere existimet, diruptas partes in suum restituere corpus.*

Sed

Sed quamdiu pro certo habetur, omnes Papas ad finem usq; mundi fore AntiChristos, homines peccati, filios perditionis, omnes qui in eo sunt grege & Idolatras, hostes divina gratia, qui meritum Christi funditus evertant, nihil pacatum sperari potest.

BONO GERMANIÆ susceptum hoc esse bellum Sueticum dicis, sed mihi non persuades, nec ulli sanioris iudicii persuadebis Nam in gratiam Catholicorum in Germania, non dicis, quia Imperatorem & omnes Catholicos in Germania Sueci offendunt, dum Regnum Catholicum infestant, unde jam foedus contra illos meditantur. Si in gratiam Evangelicorum, valdè erras, Nam contra illos magis irritabuntur Catholici, credentes hæc ipsorum instinctu agi. Norunt enim illi Suecorum axiomata, sciuntq; damnosum exitum belli Germanici. Ita neutrius commoda tui promovent, tantum sua. Non tam inimicus debebas Catholicis esse, cum Christina Regina quondam tua, jam Catholicæ Religionis se totam addiderit, in cuius gratiam tanti habentur Romæ Triumpho, de quibus quidam appositè;

Et nunc Barbaricos miratur Roma Triumphos,

Gaudesq; inventa, Tu bone Pastor, ove

Ab nimium partis exultas Roma Trophæis,

Quæ lucraris ovem, sed pereunte grege!

Sed eò magis miror te tam infenso esse animo in Catholicos, cum Evangelicos eodem habeas loco. Prusiam Ducalem ubi pauci sunt Catholici, maxima pars Evangelici, æquè vastarunt Sueci, tantaq; isti Provinciæ intulerunt damna, quanta iis in locis Poloniæ, ubi nullus reperitur Evangelicus. Non Religionem sed regionem appetitis. Hic Scopus vester, ad quem collimatis.

Quid merita est CIVITAS GEDANENSIS, fidelissima Regi suo? Hæc verò tota Evangelica, pauciq; in ea sunt Catholici. Ibi nè vis Evangelicam promovere Religionem, quæ ibi summum obtinet locum? Noctuas Athenas portabis, Sed

Sed fortè imperio tuo illam velles adjicere, PAR LA BIEN SEANCE. Illa ne fregit Inducias? illa ne contra cautionem datam ullam Classem contra Suecos è portu suo eduxit? Minimè. Cur ergo tui classe illam cingunt, cur commercia adimunt, bona ipsorum diripiunt, & hostiliter tractant? Meminisse debebant Sueci, quondam Carolum Regem Sueciæ, cum à Christierno Rege Daniæ & perfidis suis subditis ex Regno ejectus esset, nullibi tutiorem, nec magis amicum habuisse locum, quò se conferret, quam Gedanum, ubi magno cum honore Anno M. cccc. LVII. tempore Bachanali-
orum exceptus fuit, ut testatur Schutzius in historia Borussiæ fol: 257. Ubi legere poteris, Dantis canorum propensionem in eundem Regem Sueciæ, qui quoq; in favorem ipsius, tam ad Ordines Sueciæ, quam ad Civitates Anseaticas scribebant, illisq; persuadebant, ut Regi auxilia ferrent. Deniq; Gedanenses eundem Regem Sueciæ Carolum, post expulsos Danos navibus suis in Sueciam comitati sunt, cujus beneficii se semper memorem gratumq; fore promisit. Cæteræ Civitates Borussiæ Regalis totaq; Provincia an-
nè Suecos, aut Regem Carolum Gustavum offenderunt, anne causam occupandæ Provinciæ dederunt? Neutiquam. Tam multi ad summam paupertatem per Suecos redacti, vindictam apud DE-
um, perpetuis lachrymis suis poscunt, cælumq; penetrant. Noli, mi Thrasymache, huic felicitati nimium fidere. Momento mare vertitur, eodem die, ubi luserunt navigia, forbentur.

Rides Orationem Przyemsky Legati Regis Poloniæ, sed nulla de causa, fortè jam tempus imminet, quo Sueci re ipsa experientur, *distinctissima hæc esse regna, divisisse naturam mari, dis-
sociasse constitutione Imperii & Religione, discrepare legi-
bus, moribus, habitu, lingua, in nullo sibi populos hosce esse
similes nisi ferocia, discordiarum omnium fomite.* Hoc fortè Suecos Tuos perdet, quod nimium gravibus contributi-
onibus Polonos, qui quidem non totam libertatem, at nec servi-
tutem pati possunt, premunt. Didicistis hoc ab Alexandro Magno, qui

qui cuidam Civitati partem agrorum, & dimidium rerum omnium promittenti: *Eo inquit proposito veni in Asiam, non ut acciperem, quod dedissetis, sed ut id haberetis, quod reliquissem.*

At dicis occasione utendum, *habemus validum exercitum, habemus Regem, artes bellicas callentem.* Fateor, Rex Sueciæ Carolus Gustavus nil nisi arma spirat, Martiusque planè est, & à prima juvena feliciter belli gerendi artes à Torstenfonio Bellatore laudatissimo, cujus perpetuus comes fuit, didicit. Verum & hæ artes fallunt. Verendum est, ne dum nimis magno fervore in Polonos irruit, & felicitati suæ nimis fidit, idem illi accidat quod Alexandro Magno. Qui cum jam in India vagaretur, & gentes, ne finitimis quidem fatis notas, bello vastaret, in obsidione cujusdam Urbis, dum circuit muros, & dum imbecillissima moenium quærit, sagitta ictus diu persideret & incepta agere perseveravit. Deinde cum represso sanguine, ficci vulneris dolor cresceret, & crus, equo suspensum, paulatim obtorpuisset, coactus subsistere: Omnes, inquit, jurant me Jovis esse filium, sed vulnus hoc hominem me esse clamat. Noli nimium irritare Polonos, ne quis reperiatur Mutius, & ne rursus arma capiant, & excussa torpedine, solitam pugnandi alacritatem resumant, cogitentque & post malam segetem serendum esse, & quod sæpe quidquid perierat, assidua infelicitis soli sterilitate, unius anni restituere possit ubertas.

Turcas suspectam habere, potentiam Suecorum, & quod Constantinopoli trepidetur ad hanc potentiam dieis, & quod non major fuerit vis Alexandri, qua Persis superatis omnem Asiam domuit, & quod in illis ad Pontum locis, Gothi quondam Macedoniam, Græciam & Asiam populati sint. Gratulor Regi tuo, quod illum Turcæ reformident: ex animoque gratularer, ut Constantinopolim, quondam Christianis ademptam, à Turcis recuperaret, sui que Imperii faceret. Ominosum certè est

E

† anagram-

anagramma Theologi cujusdam Thoruniensis, in Regem Sueciæ, quod ex nomine Ipsius feliciter composuit. SVECUS TUR- CAS REGIS AULA EXUO. Utinam exueret, Poloni- æq; Pacem haud turbaret. Hoc ipsi gloriosum, totiq; Christia- nitati utile foret.

Antequam finio, hoc Te monendum censeo, SUECOS NON ESSE ILLOS GOTHOS, qui Italiam, Hispaniam, ut tu putas, occu- parunt, & gentem Spalorum victricibus armis superarunt Audi quid hac de re Piafeciis sæpè laudatus Tibi familiaris autor dicat fol. 56. *Gothi illi bellicosi sive Gethæ an sint censendi in- ter gentes Sarmaticas alius discutiendum relinquo, unicum tamen admoneo, quod veterum Historicorum (recenti- orum in rebus antiquis, nisi nitantur antiquorum testimo- nio, parva fides) nullus uspiam memorat, eos ex Suecia prodiisse, vel ibi sedem commerciumve aliquod unquam habuisse, sed concordi sententia omnes præsertim Orosius Hist: lib: 1. cap: 2 refert: Gothorum sedes esse contiguas Alanis & Dacis propè Pontum Euxinum, & Istrum consi- stentibus, & Procopius & Jornandes de Rebus Gothicis as- serunt, eos ex finibus Asia à Tanai & Meoti de Palude Pontoq; Euxino (qua regio utiq; à primis seculis semper fuit & nunc est Sarmatarum sive Slavonum, utpote Rus- sorum sive Roxolanorum, Moschorumq; perpetua sedes) egressos versus meridiem, superato in Dacia Istro, in Mæ- siam Thraciamq; excurrisse, & post varia bella pro Impe- ratoribus, & contra Imperatores Romanos gesta, inde de- mum in Pannoniam, ac paulò post in Italiam, Galliam, Hi- spaniam, Africamq; (Gothos, Vandalis Alanisq; com- mistos in Africam & Hispaniam irruisse, testatur Pos- sidius*

fidius apud Baroniurn Tomo 5. sub A. C. 430.) penetrantes, obvia quæq; armorum suorum vi perturbasse, nec ivisse unquam in Sueciam etiam pulsos aliunde. Plura addit, quibus probat, Gothos non fuisse Suecos, quæ ibi fufius, si commodum est, legere poteris. Sed manum de tabula.


Probavi credo evidentissimè non per Polonos, sed Suecos stetitisse, quo minus inter illos dudum pax coaluerit. Probavi non Polonos, sed Suecos Inducias violasse. Probavi deniq; hoc bellum Sueco-Polonicum, non Germaniam à periculo liberare, sed in maximum detrudere. Jam omnes qui hæc legent, & animo, nullo pravo affectu infecto, singula perpendent, Iudices constituo, videbunt, confido, me vera dixisse, nec affectui in hanc vel illam partem nimium indulgisse. Modum Epistolæ fortè excessi, sed sequor Te præ euntem. Vale, mi Thrasymache, & ignosce, si in hac responsione aspera quædam reperies, non meâ, sed Autorem à Te ipso prolatorum, verba sunt. DEUM supplex rogo, ut Tibi Regiq; tuo sinceræ pacis cogitationes inspiret, ut conjunctis viribus, tandem contra Christiani nominis hostes eamus. Dab: mense
Aprili Anno quo


CertanDVM pro Libertate




Appli Annoque
nomina hostes eam. Dabente
comparis viribus, tandem contra Christiani
Tibi Regis: tuo fidei pacis cogitationes inquit, ut
tema Te ipso prolatorem, verba sunt. Dum superplexo, ut
in hac re ipse quidem reperies, non mea, sed ante
sed quae Te pertinet. Vile, mihi Thymoch, & tunc
illam partem nunc in doli. Modum Epistole fore oratio
fructus videbant, confido, nec vera dixisse, nec verum in pane vel
mo, nullo pravo affectu in doli. Inquis perpendant, iudices con-
sed in maximo deinde. Jam omnes quibus legere et au-
bellum sicut solentem, non Germaniam a periculo liberare
visione, sed necesse inducit violenter. Probat denique hoc
fuisse, pro minus inter illos dudum paz. consistit. Proba-
Probat credo evidentissime non per se, sed sicut
illius, si conatibus est; legere poteris, sed nunc in doli.
Iam adde quibus probat. God, et non fuisse sicut, ut
nec tunc, nunc in doli, tunc in doli, tunc in doli.
tunc, et tunc quibus, tunc in doli, tunc in doli.
tunc, et tunc quibus, tunc in doli, tunc in doli.
tunc, et tunc quibus, tunc in doli, tunc in doli.
tunc, et tunc quibus, tunc in doli, tunc in doli.


Caroli M. pro Librario











the scale towards document

Auch klärlich blick lassen/das so wir nicht ab-
thun unser hohen Willen wolten mit Franck-
was auffer dem nichts zuthun wäre / gleich wie
ve die deswegen gesandte *ministri successiv*
arucke geruffen worden.

er König von Frankreich an uns durch seinen
fels ein *memorial declariren* lassen/das seine Ver-
ab *Postur* wäre umb gegen uns zu *agiren*/ wann
zeitge welches er uns in gedacht *memorial* vor-
sche Antwort zu geben und *resolviren* würden.

klarer sein ind ge als das das Dessen des gegenwärtige
en gegen die Freyheit unserer Republic un unser Com-
n Frankreich ein un dasselbige sey/ ja selbst aus der Di-
scheinbarlich abzunehmen / auch weltkundig das der
sch und der jetzige König von Spanien in *effectu* ein-
fi das der König von Spanien nichts anders kan oder
nige was dem Könige von Frankreich wollgefällig ist/
bnigreiche Frankreich un Spanien gleichsam als in ein-
/daraus folgend nichts anders mag abgenommen wer-
jenige was der König von Frankreich gegen uns und
zum Nahmen des Königs von Spanien solches auch
achten König von Spanien oder zum wenigsten durch

. Das also gedachter König in Frankreich wegen obren
die Spanische Tropfen unter den Namen des Königs
het umb seine gegen uns hegende Dessen mit selbigen
unter diesen Namen un Kraxext der König in Frank-
ortifications. Werck bauē noch unter der Verichtung
er Festung dieser Republic/welches Schurzgrad zu
s Tractat welcher An. 1648. mit dem Könige vō Spa-
n / auch aller Vöcker und Kriegs Recht entgegen ist.
ig von Spanien alle die Demaschen des Königs sein
lein duldet/sondern auch selbige selbst autorisat sa-
tion von der gesamthen Spanischen Monarchie/in
Spanischen Niederlanden / welche ein höchst nöthige
public seyn; das die adeliche und naturaliche Rechte
v / die wir auf allen Seiten umringt/ un von allen Ort
it und beläget/ da unsere Willen bereit schon zum
ig von Frankreich anquirt/ und von gedachtem Ab-
so vielen Gefahren bedrohet worden/das wir gegen sol-
en un gehalten sind, die zungt Wirt zu gebouet/wel-

Color calibration chart with patches C1-B9, A1-A9, B1-B9, 10-11 and a ruler in mm and inch.